

scita a nobis, nec etiam a natura. Nam proportio quædam est discretorum, vt numerorum, quædam autem continuorum. In numeris autem minor est pars aut partes maioris, vt demōstratur in septimo: quare & in eis omnibus est habitudo certa & nota. At vero in cōtinuis est proportio magis larga: est enim in eis, vbi minor quantitas est pars aut partes maioris, & talium omnium mediantibus numeris est proportio nota, quæ & rationalis dicitur. Dicunturq; omnes tales quantitates communicantes, quia eas vna & eadem vnitas necessario metitur: vnde & omnes numeri sunt communicantes, omnes enim ipsos metitur vnitas. Est etiã vbi minor non est pars aut partes maioris, & in talibus nō est nota proportio, nec nobis, nec natura. Diciturque hæc proportio irrationalis, & hæ quantitates sunt incommunicantes: vnde fit, vt quæcunque proportio reperitur in numeris, reperiatur in omni genere continuorum, vt in lineis, superficiebus, corporib. & temporibus: nō autem econuerso, infinitæ enim sunt proportionales in continuis repertæ, quas numerorum natura non sustinet. Sed quæcunque proportio reperitur in vno genere cōtinuorum, eadem reperitur in omnibus aliis. Nam qualitercunq; se habet aliqua linea ad quamlibet aliam, sic se habet quælibet superficies ad aliquam aliam, & quodlibet corpus ad aliquod aliud, similiter & tempus: sed non sic quilibet numerus ad aliquem alium; vnde magis est larga proportio in con-